

15

Deo Duce!

SPECIMEN ACADEMICUM,  
DE

ARTE ADIPEM  
PHOCARUM COQVENDI  
IN  
OSTROBOTNIA,

Qvod

Suffragante Ampliss. Senat. Philosoph. in Regia Academ.  
Aboënsi,

PRÆSIDE

CAROLO FRID.  
MENNANDER,

Scient. Nat. PROFESSORE Reg. & Ordin.

Publico examini modeste submittit

JOHANNES TENGSTROEM,

Ostrobothniensis.

In audit. maximo ad d. XVII. Dec. MDCCXLVII.  
Loco horisqve consuetis.

---

ABOÆ, Exc. JOH. KÆMPE, Reg. Acad. Typ.

*Admodum reverendo atque amplissimo Viro,  
Dn. Mag. CLAUDIO HEDMAN,*

*Qvæ in urbe Wasensi & Mustasari Deo colliguntur ecclesiæ  
Pastori vigilantissimo, Trivialis ibidem Scho-  
læ Ephoro gravissimo, districtusqve, adjacentis Præpo-  
sito accuratissimo, Patrono magno.*

*Viro admodum reverendo atque præclarissimo,  
Dn. Mag. JACOBO WIKAR,*

*Ecclesiæ in Malax Pastori longe meritissimo, Patris  
loco singulari mentis veneratione ad cineres usqve pro-  
leqvendo, colendo.*

*Viro plurimum reverendo atque præclarissimo,  
Dn. Mag. HENRICO WALLENBORG,  
Pastori Lillkyroënsium meritissimo, avunculi loco pia-  
mente colendo.*

*C*um in officio colendo sita sit vitae honestas omnis, &  
se non vult, in id incumbat, ut nullam praetermitto  
declarare possit animum, & pro acceptis beneficiis reve-  
Hinc in pietatem peccasse mibi viderer, si bac potissimum  
facta eorum benigniora non dicam praedicare, majora e-  
tatem, sed tantum significare. Suscipite interim incomtas  
di penicillo delineant. Indulgeatis tamen, quæso, opellae  
simis lucem. Sic satis habebit luminis, & ipse me voti mei  
O. M. ex animo venerari, velis vos in longos mortalitatis termi-  
num, & familiarum vestra-  
NOMINUM

*Cultor hu-*

*JOHANNES*

Viro admodum reverendo atque p̄aeclarissimo,  
Dn. Mag. HENRICO JOH. CARLBORG,  
Ecclesiarum in Nerpes Pastori longe meritissimo, &  
ibidem Pr̄eposito honoratissimo, Patrono certissimo,  
qua par est animi reverentia semper colendo.

Viro plurimum reverendo atque p̄aeclarissimo,  
Dn. Mag. ISAACO PELDAN,  
Pastori Christina-Lappfierdensium longe meritissimo,  
Fautori exoptatissimo.

Viro spectatissimo,  
Dn. CAROLO HEN. STRENGBERG,  
Commissario pedestris legionis Ostrobotniæ vigilan-  
tissimo.

in negligendo turpitudo, ideo q̄ilibet, qui suis partibus dees-  
tat occasionem, qua Patronis suis, modo quoconque, gratum  
rentiam testari. Id aeqvitas suadet, jubet ipsa justitia.  
occasione nomina reticerem Patronorum, & negligerem,  
nim sunt, qam ut tantam in me sentirem dicendi facul-  
tas pagellas, quae humilis & agrestis casae artificium ru-  
buic ex nominibus vestris venerandis & mihi jucundis-  
comptem factum, summopere gaudebo. Meum erit, Deum  
nos saluos ac soffites, in Ecclesiae & Reipublicae commo-  
rum gaudium, conservare!

VESTRORUM

millimus  
TFNGSTROEM.

*Viro perquam reverendo atque clarissimo,*  
Dn. ISRAELI REINIO,

Sacellano in Lajhela longe meritissimo, Avunculo carissimo, jugi pietate honorando & colendo.

*Viro perquam reverendo atque clarissimo,*  
Dn. JOHANNI FORSSMAN,

Sacellano in Cronoby meritissimo, avunculo carissimo.

*Viro perquam reverendo atque doctissimo,*  
Dn. OLAO TUNÆO,

Sacellano in Woero vigilantissimo, Fautori certissimo.

*Viro perquam reverendo atque doctissimo,*  
Dn. DANIELI ROOS,

Sacellano in Lapsterd Laudatissimo, Affini & consobrino astutissimo.

**T**ot, fautores & consangvinei honoratissimi, adsum tum volui Nominibus; quoniam beneficia vestra in mea, quam quae unquam dignis verbis exprimere valebit ea me saepissime ante oculos ponere, & in grati animis diorum primarios. Pro vestra uestrorumque perenni felicitate

Perquam reverend. clariss.

Cultor obser-  
A. &

*Viro perquam reverendo atque clarissimo;*  
**Dn. JACOBO WIDLUND,**

Sacellano urbis Wasensis laudatissimo, Avunculi loco  
multis nominibus honorando.

*Viro perquam reverendo atque clarissimo;*  
**Dn. ZACHARIAE DAHL,**

Sacellano in Pedersöre vigilantissimo, ut antea Infor-  
matori suo fidelissimo, ita nunc benefactori qvovis ho-  
noris genere afficiendo.

*Viro perquam reverendo atque doctissimo;*  
**Dn. THOMÆ ARENIO,**

Sacellano in Malax & Solfvo meritissimo, avunculi lo-  
co honorando.

*Viro perquam reverendo atque doctissimo;*  
**Dn. SAMUELI SIMALIN,**

Sacellano in Nespes solertissimo, Affini dilectis-  
simo.

causae, cur hoc specimen Academicum vestris consecra-  
nullo non tempore collata extitere. Sunt haec multo majo-  
mens gratissima. Vobis tamen heic significandum esse duxi,  
pignus, ac spem ulterioris favoris, basce vobis dicari stu-  
pota fundere nunquam intermittam.

& doctiss. Vestrorum Nominum

wantissimus,

**R. M. I. O. L.**

Handelsmannen i Åbo/

Högachtad

Herr NICLAS PIPPING,

Gunstige Patron och gynnare.

Handelsmannen i Wasa / Högvålachtad

Herr ISRAEL HANSSON,

Handelsmannen / wålachtad

Herr NICLAS NAGEL,

Mine samtelige

**G**ä stora hafwa Edra wålgårningar / mine gyn-  
wålvilja så märckelig / saint min wålgång Eder  
tyga der emot en wördsam erkånsla. Mitt sjilla  
jamhet / utan af en beklagelig oförmögenhet. Nu  
nare / för detta ringa Academiska arbetet / genom  
hier teliga önskan upfylles / när den Högsta föröker  
understöd / och bekröner Eder

Mine

Hörsamste  
JOHAN

Handelsmannen i Christine Stad/  
Åreborne och Högwälachtad  
Herr HANS BERGH,  
Min synnerlige gynnare.

Råd- och Handelsmannen dersammastådes/  
Herr PETTER WIDMARCK,

of

Handelsmannen wålachtad/  
Herr JOHAN STEENBERGH,  
gynnare och vännen.

nare / warit emot mig / Edert sinne så ömt / Eder  
så mycket om hiertat / at jag långt för detta bort be-  
tigande har ej hörört af försunelse / mindre af otack-  
fördristar jag mig / at sätta Edra nann / mine gyn-  
hwilckas godhet det är komnit i dags lufset. Min  
Edra lefnads åhr / Edra vårdnader til hugnad och  
wandel med all fällhet.

gynnares


gienare

TENGSTROEM.

Politissime Dñ. AUCTOR,  
Consobrine dilectissime.

**H**aud male dixit, quicunque dixit: Ne sis lynx foris & talpa domi. Esse sollicitum de cognitione eorum, quae apud exterorū reperiuntur, & intacta relinquerē, quae natura ante proprios pedes deposita, plus sapit scutitiae quam sapientiae. Satis diu magno cum danno nostro propria fastidivimus, peregrina magni fecimus. Gratulamur vero nobis tandem venisse tempus, quo doles illas plurimas, quas habet patria nostra, partim cum aliis regionibus communes, partim peculiares, digne aestimare didicimus, & perspeximus, opes suas naturam munifica manu in Sveciam contulisse. In iudem describendis & ad communis vitae usum applicandis versatur jam orbis eruditus hyperboreus. Ipsa quoque juventus studiosa, ea, quae historiae naturali patriae & illustrationi oeconomiae inserviunt, sedulo conquirit & delineat. Inter cetera historiae naturalis objecta sunt maria, incolaeque aquarum, quarum naturae & proprietatum investigatio insignem pollicetur usum. Laudabile itaque est propositum Tuum, Politissime Dñe, quum egregia hac dissertatione descriptionem phocarum fistis, usumque, quem praebent, luci publicae exponis. Eo magis perfundor laetitia de prosspero Tuo successu, cum praeter vinculum consanguinitatis, arctior nos inde a pueritia conjunxit amicitia. Hinc insignem capio voluptatem, dum Te in studiis atque virtutibus indies proficere video. Quamvis enim mature satie in orbitate & trifilia relictus sis, ad propositam tamen studiorum metam masculine contendis, idque specimine hoc eruditionis publico ostendis. Gratus tibi praeclaros in studiis progressus; & in optatis meis hoc primum erit, ut Tibi fausta cuncta & felicia cedant!

ERICUS JUELII.



### §. I.

**P**äter antiquiores, *Gesnerum præcipue, Aldrovandum, Jonstonumque & alios*, qui aliquas reliqverunt nobis phocæ descriptiones, *Ephemerides Naturae curiosorum* ejus faciunt mentionem. *Phil. Jac. Haartman* quoque anatomiæ ejus disputatione quadam 1683. Regiomonti edidit. In patria & hac quidem academia Plur. Reverend. Dn. Past. Mag. *Wikar* Anno MDCCVII. de Phoca ejusque captura differuit, eleganti opera quoque digna esset ut denuo prælo submitteretur, cum rarissime hodie inveniatur. Nob. quoque *P. Hierae* in analectis suis ad historiam Patriæ naturalem spectantibus. p. 101. seq. luculentam reliquit descriptionem capturæ phocarum in Roslagia. His addere nonnulla mihi jam animus est, præcipue capturam earum & axungiae coctionem concernentia, quæ in Ostrobotnia & parœciis Mustalari, Malax & Nerpes, quarum incolæ potissimum huic pescatu incumbunt, partim a rerum peritis colligere, partim ipse videre potui.

<sup>2</sup> potui. ut vero b. l. conatus hos juveniles in meliorem interpreteris partem, per officiose contendo.

§. II.

**P**Hoca animal qvoddam quadrupes est, ex illorum genere, qvæ amphibia dixerunt vereres; vitam enim in mari agit, aërem tamen haurit, spiratqve in terra; dormit, coit & parit more pecudum. Figura corporis ab omni genere piscium plurimum differt. Partium vero ejus externalium brevem delineationem dabimus ex qvadam phoca, *Vikar nettare* qvam nuper ex Alandia obtinuimus. Magnitudo corporis in varietatibus diversa est, ceu apparebit in sequentibus. Hujus nostræ longitudo erat ab apice capitis ad extremitatem pedum posticorum 2, ulnarum. Crassities ad pedes anticos  $1\frac{1}{4}$  uln. ad extremitatem corporis  $\frac{1}{2}$  uln. caput erat  $\frac{1}{4}$  uln. & 2. digitos longum, rostrum in ambitu  $\frac{1}{4}$  uln. Crassities ipsius capitinis  $\frac{3}{4}$  uln. Oculi 2. digitos invicem distabant, collum erat longitudinis  $\frac{1}{4}$  uln. in ambitu  $\frac{3}{4}$  uln. manus  $\frac{1}{4}$  uln. longæ,  $\frac{1}{8}$  latæ erant. pedes vero postici  $\frac{1}{2}$  uln. longi, ejusdemqve crassitiei dum distenduntur. Caudæ longitudo erat tantum 2. digitorum. Caput subrotundum, ad molem colli justo minus, insidet collo brevi, pilisqve brevibus depresso & veluti conglutinatis obducitur. Collum cum scapulis fere æqve latum est. Oculi colore cœruleo nitent, in illis palpebræ, sed cilia nulla; in fronte

te tamen supraque interstitium oculorum adiunt ad utroque latere 5. tubercula ex quorum nonnullis capilli setosi eminent, tales etiam sed rigidiores, oīis superius labrum tumidum & velut vitulinum vestiunt, cui insunt nāres depresso, haud absimiles caninis. Aurium loco foramina adiunt. Maxilla inferior angustior est, superior vero latior. Dentes primores vel incisores in superiore maxilla 6 quorum extremi maiores reliquis; in inferiori 4. aderant. Hos excipiunt bini canini in utraque maxilla iijq̄ testi. Dentes posteriores 5. sunt ab utraque parte utriusque maxillæ, coroniformes. Lingua brevis, carnosa, lata & in apice bifida. Cutis albior sub ventre, & rarioribus pilis, in dorso hirsutior & magis saturato colore est. Pedes antici breves, quinque digitis instructi, qui per membranam copulantur, & ungibus curuis instruuntur, quorum pollex longissimus est, ceteri gradatim decrescunt. Corpus latissimum ad pedes anticos, deinde sensim coarctatur. Pedes posticii protenduntur eadem cum cauda directione, qui quoque in quinque digitos divisi sunt, quos membrana carnosa conjungit, quorum bini exteiiores maiores sunt & æquales, proximi magis depresso, medius minimus; omnes ungibus muniuntur rectis acutisque. Cumque ita phocæ pedes exiguo & deambulationi prolixiori ineptos habeant, videntur ideo dictæ ab Homero πεποδες. Cauda carnosa, adiposa, depresso, pelle nigricante vestita. mam-

mæ binæ sub ventre, difficulter conspicuæ, qvibus catulos suos, qvorum unicum qvolibet partu excludit, lactat ritu quadrupedum. Cutis dura & solida, pilis nigricantibus, aut cinereis tecta, qvibus paruæ maculæ albicantes aut lutæ interspersæ sunt. Dum aperitur corpus phocæ, illud undiqvaqve sub corio ambit adeps colore candido, ad palmæ sæpe latitudinem. Hæc utrum multiplicem corpori præbet, hveme enim calefacit, æstate refrigerat, & ne calor penetrat, impedit. Reliqva interiora nostræ non sunt considerationis.

### §. III.

**N** mari Baltico & sinu Botnico binæ varietates principales phocarum obseruantur, nempe *Gräfsl* & *Wikäfsl*. Has in eo differre observavit ill. *Linnaeus*, qvod prior pariat mense Januario, sit canus & gregarius, posterior vero fœtum excludat in Februario, solitarius incedat, & niger sit. Prioris quintuplicem differentiam dari contendunt pescatores; qvarum prima *Storgräfsl* s. *stāt*, secunda *Mellan stāt*, tertia *Swin fsl*, quarta *Broksfsl* vel *Morunge*, quinta *Små grå fsl* illis dicitur. Hæc diversa nomina partim ex magnitudine, partim ex variis pilorum coloribus illis imposuerunt. Maxima omnium *Stor grå fsl*, pilis canis gaudens, longitudinis est qvinqve ulnarum; pinguedinis 14. aut 16. ponderum, & carne sale condita una tonna repletur. Magnitudine huic proxima est *Mellan stāt*, pilis cinereis cum aliquot macu-

maculis luteis, uln. brevior est priori, pingvedinis decem pondera dat. Hanc ordine sequitur *svin siel*, pilis cinereis longioribus obducta, longitudinis trium plerumque ulnarum, adipis septem fere pondera continet. Inde *Morunge* 1; *Brok siel*, uti priores colore cinereo est, cum albanticibus maculis, sed in eo ab his differt, quod hæc nunquam in vasto mari, sed in sinubus versetur angustioribus, caput ejus majus quam reliquorum est, corpus carnosum & parum pingvedinis, respectu magnitudinis, continens, a capite ad pedum posticorum extremitatem 3. cub. sunt, pingvedinis 6. tantum libras possidet. Ultima varietas *små grå siel*, pingvedine ceteras antecellit, si magnitudinis habeatur ratio, quæ non ultra 1. uln. se extendit. Hæc nunquam se vilui offert nisi tempore veris, cum glacies in frusta distracta est. Posterioris *Vikar siel* varietates etiam numerantur quinque, scilicet *Lång vikare*, *Roedbroestare*, *Vikarnattare*, *Qvarn slökare* & *små vikar siel*. Prima *Lång vikare*, ita dicitur, quia longissima omnium hujus varietatis, cum justæ magnitudinis sit trium cubitorum cum dimidio. Octo vel novem pondera adipis habet. Altera *Roedbroestare* in reliquis priori similis est, præter id, quod macula rubra pectus ejus tegatur, unde nomen ortum esse videtur. Tertia *Vikar nattare* in dorso nigrum lineam gerit, latera fulco sunt colore, maculis nigris distincto; sub ventre fere albicat; longitudinis est 2. ulnarum,

rum, pingvedinis 2. ponderum. Qvarta varietas *Qvarnslekare* inde nomen traxit, qvd maxilla inferior ad dimidiā colli partem pilis albī vestita est, & qvālī farina consperfa. Longitudinis 1½ uln: pingvedinis 1. pond. Qvinta *Vikar /mā siel.* est. Longitudo ejusdem non ulnam excedit, & tere tantundem est lata, pingvedo 1. pond. Has, inqvam phocarum varietates, periti in Ostrobothnia piscatores, qui diligentissime per totum sinum Botnicum hæc animalia exqvirunt, contendunt reperiri. Insulani Alандiæ & prope Aboam qvatuor varietates phocarum se observare perhibent: nempe: *Grå Siel* s: *Stät*, *Morunge*, *Vikare* & *Nattare*. Tot etiam in insula Carlö in sinu Botnico sita habitantes, phocarum variationes recentent diverlorum colorum, qvas *Kraseli*, *Vikari*, *Vlcovinan* & *nasku* Fennice dicunt.

## §. IV.

**M**odus phocas capiendi varius est. In mense Februario piscatores ad hanc capturam sele parare solent, vestes necessarias, cibum, bombardas, perticam *Långstängen*, varia retia, hamos, ferrum hostile duobus modis confectum, alterum *Kiölfstakan* alterum *Sieljernet*, & clavam phocarum s. *Sielklubban* secum assumentes. Cymbam qvoqve unam majorem & binas minores utensiliaqve varia secum ad mare deferunt. Qui circa hanc piscaturam ordo observatur ratione personarum, seqvens est: qvod nonnulli sint majoris, reliqui inferioris dignationis. Priores qvatuor sunt: *Skepparen*, *Styrmans*, *Fogden* & *Hiep-*

*Hielpkarlen*, hiqve uno nomine *skiutkarlar* dicuntur,  
 Seqviores cententur lixæ & custodes cymbarum,  
 qvi etiam qvatuor sunt, qvorum officium est pri-  
 oribus obseqvium præstare, si pœnam evitare volue-  
 rint. Cymbas & utensilia sua eqvis ad ultimos  
 maris scopulos deferunt, qvod illis *Bætförd* dicitur.  
 Deinde altera vice cibum & vestes, qvod iter *Raita*  
 nominatur, eo deducunt certi homines, *Raitare* ap-  
 pellati, qvi postmodum una cum eqvis domum  
 dimittuntur; píscatores vero iter versus aqvilonem  
 perseqvuntur, donec ad eum locum pervenerint,  
 ubi phocæ reperiuntur. Qvam primum ejusceno-  
 di glaciem inveniunt, ubi conjiciunt phocas ver-  
 lari solere, qvæqve apta est illis ad nidos ibidem  
 construendos, constituunt secum, paulisper ibi mo-  
 rari, qvapropter cymbam alligant cumulis glacie-  
 rum, ministrisqve suis mandant, ut eam custodi-  
 ant, & qvæ domi agenda sunt, procurent. Qvatuor  
 primores s. bombardatores pellibus vitulinis al-  
 bis vestiti, venatum exeunt, bombardam, perticam  
 & hastile instrumentum *Kioelflakan* secum ferentes,  
 qvibus utuntur eo modo qvem Past. Jac. Wikar  
 in sua dissertatione cap. 2. §. IV. descripsit. Hoc ad-  
 dere liceat perhibere nostrates, qvod si iaculator  
 cranium vel ossa colli telo non trajicerit, ut statim  
 moriatur animal, phoca tum major langvinem in  
 ventrem attrahat, duosqve vel tres dies vivat, ma-  
 gnoqve damno phocas, qvæ in cymba sunt, suo  
 adventu afficiat, coria earum dilaceret, omniaqve

ei

ei occurrentia disjiciat; ideo caput statim ejusmodi phocæ detruncant, qvo facto mox moritur. Qvod vero phoca sit obstinatissimæ vitæ, potest pinguedinis densitiei & sanguinis crassitiei ac tarditati adscribi. Alter modus phocas capiendi est per retia, qvæ quadruplicia sunt: *Leggnæt, Ståndnæt, Tvernat & Stång-Långnæt.* Hæc contorta sunt ex triplicatis filis crassioribus cannabinis, maculis quadratis, qvarum qvodlibet latus palmæ magnitudine est. Funes tenues rete ambiunt duplicati, ex pilis setaceis parati, in superiori fune lamellæ ligneæ unum pedem longæ adsunt, inferiori si-  
ve ad basin retis modici lapides alligati sunt, ut retia in fundum demergant, qvæ vi lamellarum illarum situm ibi erectum servant. *Leggnæt* Certam longitudinem non habent, profunditatem vero 4. aut 5. ulnarum. Hæc piscatores juxta præcipites maris scopulos eo modo emittunt, ut in ea parte retis, qvæ proxima petræ est, lapis gravis inferiori funi alligetur, ne phoca rete auferat, retis vero extremitati versus mare funiculus annexitur, cuius extremitas superficiem aquæ attingit, & lignum rotundum annexum habet, qvod illis dicitur *Kockan* s. *Flætet*, super aquam natans, ut rete inveniatur. Hæc retia ad ejusmodi isthmos præcipue collocant, ubi multos mergos volare vident, qvod certum prognosticon est, pisces ibi fere congregasse. Phoca tales locos investigat, piscesque insectando perseguitur, qui effugium per foramina retium petunt,

petunt ; qvibus phoca illaqueatur , breviqve tempore suffocatur , cum in aquis spiritum ducere non possit. *Ständnet* ad latera lapidum , in qvibus reqviescunt phocæ , *Sielstenar*, versus mare , forma semi circulari ponuntur. Phoca lapides ejusmodi exqvirit , ut in iis dormiat , qvi paralleli cum aqua sunt , ut commodius adscendat. A latere versus terram vergente semper adscendit , rostrum vero ad mare vertit dormiens , ut paratior sit se mari committere imminente periculo ; dum itaqve hinc in mare se præcipitat , nesciens insidiarum ipsi paratarum , implicatur & capit. Cum autem lapides ejusmodi in qvibusdam locis , ubi phocæ versantur , non inveniantur , lignum rotundum natans , creta album redditum , ad rete alligant. Phoca existimat hoc lapidem esse , cupitqve adscendere , prorependo vero demergit lignum , qvod sequitur ipse , & reti subjacenti implicatur. *Stång iång-*  
*net* est multitudo retium in pertica connexorum , qvæ trans freta & recessus maris phocæ *Vikarsiel* ponuntur. *Tværnet* , profundiora supra descriptis sunt , sed minoris longitudinis , tempore hyemali in fissuris & foraminibus glaciei demerguntur , ubi phocæ assurgere solent. Ad capiendas *Morunge* & *Vi-*  
*kare* , qvæ in maris sinibus versantur , his retibus tam æstate qvam hyeme utuntur , sed non *Grå-*  
*siel* , phoca major , iis capit , qvæ in vasto mari inter fissuras & fragmenta glaciei respirat ; æstate solummodo , cum in scopulos vicinos post pro-

cellam, spränget ab illis dictam, defessa jactatione undæ, adscendit, tum piscaores se ad ejus venationem expedient, retia & bombardas assumentes. Prætor in qvavis cymba adest, *Vänman*, cum perfonis duabus, *Rödbielp*, dictis, ipsum vero iter *Själrod* appellatur. Tertius modus phocas capiendi, hamis, *Själkrokar*, peragitur. Piscaores omnem mouent lapidem, ut catulum minoris generis, *Vikarsjelens Kut*, inter cumulatas nives investigent, quo capto, ad basin hamii bicuspidati vinculo qvodam eum alligant in glacie, & graviter tundunt verbrantqve, ut milere ejulet. Dein in mare, perforamen, qvod adscensui suo paravit mater, ad natandum eum demittunt. Illa sono hoc lugubri audito, ad prolem vindicandam accelerat, eam avide amplectitur, ut secum auferat, pectori vero suo simul illidit alteram cuspidum; qvod cum venator intelligit, festinanter funem, qui hamo adhæret, 16, orgyiarum, attrahit, ut altius penetrat hamus. Phoca ad foramen elevata, alio qvodam instrumento, *Kjælfstakan*, eam trucidat & supra glaciem extrahit. Conficitur etiam hamus una solum cuspide, & a venatore in superficie scopulorum & lapidum prope ripam maris ponitur, ita ut cuspis sursum tendat, & nihil damni phocæ adscendentí afficerat, descendenter vero, cum a pilcatore perterrita fuerit, comprehendat. Hic modus capturæ in Alandia præcipue vulgaris est. Ferro hastili, *Själjernet*, etiam capi solet phoca, cuius

jus basis ferrea ; ulnam longa, crassa unum digitum, tribus cuspidibus armata, perticæ insidet trium Orgyiar; cui funis viginti Orgyiar: adhæret. Cum phoca dormit secura in terra, subito piscator prorepit, ferrumque collo intrudit, qvō facta phoca in mare aufugit. Funiculum vero laxat venator, donec profusus fuerit sanguinis, postea paulatim funiculo collecto, in terram eam attrahit.

## §. V.

**B**Reviter phoca variisque modis eam capiendi descriptis, proximum est, ut paucis distributionem exponamus capturæ. Postquam pescatores phocarum ad littora sua solitaires & lani rediere, omnes domum, præter custodes, suos salutatum eunt. Proximo die hora determinata ad cymbam convenient, utensilia & phocas exonerant, & qvicquid ad divisionem pertinet, præparant; plus eo die non expediunt. Vesperi lectum petunt in casis suis maritimis, ut eo paratores sint ad sequentis diei opus peragendum. Tum mandato nauclero edito, cui omnes morem gerere debent, ad coria detrahenda se accingunt, qvod sequenti peragitur modo: phocas in menas ex asseribus longis confectas, huicque negotio paratas, collocant; ventrem primo aperiunt, cuicunque una cum adipe detrahunt, rostro, pedibus anticis & posticis exceptis, ne falsamentum laedatur, qvod inter delicias ab illis habetur. Deinde pellem ab adipe cultro acutissimo & tenui, cujus

longitudo est  $\frac{1}{2}$  uln. & manubrii  $\frac{1}{4}$ , sejungunt, summam prudentiam adhibentes, ne perforetur corium. Carnes, adipem & coria in duas diverlas ponunt partes, ratione diversitatis phocarum, ut in dividendo postea eo melius una varietas ab altera separari possit. Officium naucleri est, ut inspectorem agat, ne coria cultro laedant, ne adeps vel in cute, vel in corpore relinqvatur, ut denique quæque pars cumulo suo addatur destinato; quibus peractis, divisionem ipsam incipiunt.

## §. VI.

**I**bra, qua adipem ponderant, constat ex jugo cum duobus brachiis, confecto ex ligno quodam recto, quatuor ulnarum longitudinis, in hujus medio axis adest, quæ trabi cuidam alligata stateram suspendit; examen vero heic adest nullum. Lances ex asseribus cum extremitatibus jugi funiculis copulatae sunt. Pondera sunt lapides ponderati, interdum adeps ad justam mensuram determinata, quæ in una ponitur lance, secundum quam reliquæ partes in altera pendentur & exiguntur. Ante divisionem nauclerus baculum quadrangularem, Karfläcken, e latebris deponit, in quo rima & linea ducta est pro quavis phoca, quam quisque cepit, secundum quem numerum quisque partem suam ex præda adipiscitur nempe i. pondo & quinque libras pro decem phocis. Adipem, quæ residua est, in novem æquales partes dividunt, quarum illis una com-

competit, qui cymbam possident; quam possesso-  
res iterum inter se distribuunt. Deinde fortis de  
his partibus conjiciunt, ut fallacia evitetur. Car-  
nes quove hoc modo dividunt, coria ratione ha-  
bita magnitudinis divisionem subeunt. Pastori et-  
jam ecclesiæ ex Regio mandato decimæ dantur  
ex iis phocis, quæ intra scopulos, non vero ea-  
rum, quæ in libero mari capiuntur. \* Sub hie-  
rarchia Pontifícia Episcopi etiam de his decimis  
statuendi jus sibi arripuerunt. \*\*

### S. VII.

**P**Ostquam partem suam quisque obtinuit, adi-  
pem in longa segmenta & tenuissimas lamel-  
las

\* Vid Kongl. Maj:ts nädige förordning/ huruledes  
med upborden af Prästerättigheterne i Österbotn  
skal förhållas. Gifwen den 18. Jan. 1743. §. 3.

\*\* Mandatum Episcopi Aboensis Benedicti de decimus foce.  
Benedictus Dei gratia Episcopus Aboensis dilectis  
in Christo filiis, omnibus Alandiam inhabitan-  
tibus in domino dilectionem & salutem. Quam-  
vis laicus quantumcumque devotis disponendi de rebus ec-  
clesie nulla sit attributa facultas, quos obsequendi ma-  
net necessitas, non auctoritas imperandi, nos quo ma-  
gis diligimus subditos nostros induci ad faciendum quod  
justum est mansuetudine quam rigore; hinc est, quod  
ad instancias Domini nostri Archiepiscopi ex consensu  
nibiteminus & benivolentia plurium de vobis tunc pre-  
fencium & eciam meliorum, clericis curatis in Alandia

las eodem cultro; qvo ēoria phocis detraxerunt;  
dissecant, ut citius purificetur & liqvetur. Hæc adi-  
pis frusta in tonnas immittunt per infundibulum  
cono abscisso simile. Per orificium quadrangulare  
tonnæ 5. vel 6. baculi alnei intruduntur, qvibus  
fermentationem impediri, & olei purificationem  
ab heterogeneis partibus promoveri perhibent,  
qvæ purificatio ut̄æpet dicitur. Hisce baculis et-  
iam axungiam circum agitant. Hoc facto, ca-  
davera phocarum aperiunt, & viscera eximunt.  
Cor, hepar & renes in usus domesticos servant,  
reliqua partim in mare abjiciunt, partim suspen-  
dunt ad arectendum, qvibus in sanandis morbis  
pecorum utuntur, qvæque in combusto vino illis  
exhibit. Caput, mammae, pedes anticos & po-  
sticos ablindunt, coquunt, & crinibus euulsis fa-  
le condunt. Corpora in partes dissecant, carnem  
in tonnis sale conspergunt, qvam postea aut co-  
ctam, aut fumo induratam, aut assatam edunt. Cu-  
tes ad parietes extendunt, tria in hoc negotio ob-  
ser-

*totam integrum Decimam de foca absque divisione qua-  
libet nos adjudicasse recognoscimus per presentes. Volu-  
mus igitur & districte precipiendo mandamus, quate-  
nus singuli westrum Curato in sua parochia integrum de-  
cimam de foca ut premittitur, exhibere studeatis, prout  
censuram ecclesiasticam volueritis evitare. Datum Anno  
Dominii MCCCCXXXVI, tertio nonas Marcii, nostro sub  
figillo.*

servantes, ne vel parum vel nimis extendantur; si enim plus expanditur corium, quam fas est, inutile evadit calceis, si minus, putreficit, & in aquis dilatatur; 1:do ne in illis locis collocentur, quibus sol & calor nimius incumbit, sed ubi aer commotus in umbra reperitur, ut in aedificiis prope littora, & aliis ejusmodi domibus, quae aerem transmittunt, 3:to ut pinguedo bene a cute abstergatur, alias enim pellis non conseruatur, praecipue si calor admissus fuerit. His omnibus confessis coenam celebrant variis epulis instructam, atque peracta gratiarum actione pro praestita fidelitate & amicitia sibi invicem valedicunt.

### §. VIII.

**O**rdo postulat, ut ad rubrum opellae propius perveniamus, & coctionem adipis exponamus. Ahenum, huic usui inserviens, fornace lateritia prope ripam, forma circuli, circumdateum est, duasque habet aperturas, unam ligni immissioni, alteram minorem fumi adscensui inservientem. Muro hoc cacabus arcte circumciactus est, ne flammæ minima portio labra attingat. Unum cantharum aquae fundo aheni immitunt, dum tonna una coquenda est, ne adeps fundo adhaereat, aut adulatur. Quantum adipis capit ahenum, tantum ei indont, ignemque subjiciunt. Ligno Pineo dissecato ad hanc coctionem utuntur, ne calor nimius adipicatum inferat. Cum adeps vehementer ebullire incipit, ignem abstrahunt, ut lente eliciatur pinguedo,

gvedo. Coctor capula adipem in cacabo semper circummovet, ne adeps non dum liqvescens fundo adhaereat. Inter effervescentium sanguis in interstitiis adipis latens spumam subrufam emittit, qvæ in superficie manet, & inde despumatur. Notatu dignissimum in hac coctione est, qvod oleum in summo effervescentiæ suæ gradu constitutum non calidius sit, qvam ut quisque manum sine damno eidem immergere queat. In *actis philosophicis* mensis Martii Anni 1665, ubi de capture balænarum ad Bermudas in America agitur, fit quidem miræ proprietatis hujus in oleo balænarum mentio, sed vix credibilis illa ibi judicatur. Nostrorum pescatorum aliqui competere quidem oleo phocarum illam quoque facultatem contendunt, ut manus absque læsione possit ei, dum ebullit, immitti. Nemo tamen experimentum rei dubiæ & pericolæ capere ausus est. Coriarii, qui semper cum hoc versantur, & saepius id coquunt, contendunt, tam calidum esse, ut si vel minima gutta manum tangeret, usque ad ossa eam adureret. Nos conjecturis non contenti, rem ipsam experti sumus, qvod nimirum, si per tres aut quatuor horas manus in feruido hoc oleo detineretur, nullam tamen patiatur ustionem. Evaporationes aquæ, qvæ ex adipe effervescente adscendunt, calidiores sunt ipso oleo, & ignotum absterrent, ne manum ei intingat. Hoc etiam exploravimus, qvod quo magis aquæ infunditur

sub coctione, eo calidior reddatur adeps, eoque  
majores bullas in superficie exhibeat. Cum pinguedo hæc per duas horas cocta est, experi-  
mentum, si sufficiens fuerit coctionis gradus, in-  
stituit coctor, vas nimirum complet liqvescente  
axungia, in quo si heterogeneæ partes fundum mox  
petant, justa censemur coctio, si minus, eadem  
continuatur. Adhuc sequenti modo probatur:  
stramen in adipem immergitur, ex quo gutta in  
unguem aut corticem aridum demittitur. Dum  
hæc dilatatur, non dum rite peracta est coctio,  
cum autem coarctatur, & formam margaritæ  
rotundam, coloremque pellucidum induit, ignem  
amovet coctor, & vasculo suo per colum, ex  
ramis salicis constructum, quod adeps non liq-  
uefacta non transit, oleum transmittit in dolium  
vetustum, cuius interstitia & pori aqua impleti  
sunt. Adipis partes non liqvescentes, quæ Grevar  
illis dicuntur, partim in colo partim in cacabo  
relictas, coctor congregat in vas quoddam ligne-  
um oblongum excavatum, ubi securi minutim dis-  
secantur, quæ in nova coctione adipi admiscentur.  
Quæ vero post ultimam coctionem in fundo ahe-  
ni sese accumulant partes crassiores, tamdiu co-  
quuntur, donec nihil pinguedinis contineant. Post-  
ea sibus cedunt in escam.

## §. IX.

**A** Deps ita decocta & percolata in vasis, *Shalka-*  
*ren*, calorem exuit, quæ afferibus obtieguntur,

ne qvid immundicie incidat. Uno vel duobus diebus in his relinquitur, donec sordes ad fundum demergantur, & limpidum superfluat oleum, quod sine ulteriori transcolatione per infundibulum in vasæ & dolia ordinaria transfunditur. Reliquæ, quæ *Tranfoten* dicuntur, in fundo jacentes, similes limo nigro, in vascula quartam tonnæ partem æquantia colliguntur, & una cum adipe Holmiam aut ad proximam civitatem, coriariis venales transportantur. Hujus coctionis pescatores phocarum in Alandia & prope Aboam ignari sunt, etsi saepe ab illis parvo cum lucro tentetur. Adipem non in partes dissecant, sed fustibus ligneis pulsant, & in coctione velociter oleum igne vehementi extorquent, nec aquam in fundum aheni immittunt, unde partim exurunt, partim in sordibus relinquent pinguedinem, quæ quoque colorem nigrum inde adipiscitur. Nonnulli eorum coctionem improbant, adipemque, sale conditam tonnis includunt, & Aboam aut non nunquam Holmiam deferunt, ubi extra urbem coquuntur. Vide Publ. die 5. Martii A:o 1725. Tonnas, quibus Ostrobotnienses oleum immittunt, *Tranfaten*, sequenti modo construunt: abietes, gall granar, proceræ, minusque ramosæ, ex fibris rectis constantes in hunc usum eliguntur, in asperos dissecatae siccataeque cultro dolario doliantur, deinde in formam tonnæ 12. viminibus abietinis coagumentantur, adaptato iis fundo utroque. Cipient hæ 60.

cantharos. Cum oleum poros novarum tonnarum intime penetret, hinc priusquam eadem implentur, aquam illis immittunt, donec expleti fuerint pori, foraminaque, ubi inveniuntur, conglutinatur. Aliqui vasa haec pice circum circa obducunt, ne adeps effluat. Aqua postmodum effunditur & oleum ejus locum occupat, orificium vere concludunt densissime, ne gutta exinde effluat, cum patina volutatur. Bonitatem olei Holmiae eo probant modo, ut alterum fundum perforent; oleum inde effluens poculo vitro excipitur, in quo, si colorem pellucidum subrufum, sine aqua in fundo & heterogeneis particulis, servaverit, bona judicatur & approbatur. Munere hoc funguntur probatores adipis, *Transprefvare*. Si domi oleum adeo purificatum fuerit, ut nihil sordium amplius retinere videatur, Holmiam tamen delatum in fundo patinæ varia impura ostendit. Quæ propter rustici nostri magnas lagenas oleo implet, ut inde locum eorum, quæ ceu inutilia abjiciuntur, repleant, & spatium, quod oleum sub itinere per poros patinæ effluens vacuum reliquit. Cum adeps recens ad civitates Ostrobotnientes ad porta fuerit, quodvis pondo, ~~ampund~~, quod pondo vulgare & 5. libras continet, 5. & ad summum 6. thaleris cupreis emitur. In quavis urbe certi constituti sunt, qui adipem coquunt, modo rusticis nostris recepto, & a nobis jam descripto. Holmiae 90. communiter, interdum usque ad 120 tha-

Ieros pro qvovis dolio olei , qvod ut jam observavimus , capit 60. cantharos , obtinent . 14. vero , & interdum 16. ejusmodi ampund ad dolium unum olei reqviruntur.

## § X.

**R**Esiduum est , ut paucis de horum animantium utilitate agamus . Phoca ejusqve partes tam internæ qvam externe venatoribus ejus multum uolum præbet . Carnem , uti notum est , edunt , multumqve inde corporis faciunt , qvamvis insalubris illa perhibeatur , & lepræ qvandam speciem credatur producere . Ex catulis s. Sielkutrina , qvorum caro salubrior est , pinguedinem , qvæ corpori adhæret , non abstrahunt , sed inter pulmentum jusculaqve loco lardi ea utuntur . Caro phocina epilepsia & profocationi matricis utilis esse ab Avicenna perhibetur , & ab ipso Hippocrate inter medicamina uterinis affectibus refertur . Eadem esitata , & sangvis siccus cum vino potus omnem epilepsiam , & maniam & scotomiam , omnemqve passionem sanare Gesnero dicitur . Ut aliorum de medicis phocæ viribus narrationes transeamus . Nulla auctoritate medicorum hodie inde recepta esse medicamenta , officinæ tatis arguunt . nostris tamen ruricolis phocæ partes medicinam domesticam palmariam constituunt , multumqve usum eas exhibere contendunt , ut fere nullus morbus sit , aut internus aut externus , tam inter homines qvam pecudes , qvem non hoc remedio sanari posse asserant . Præcipue ea , qvæ post ptre-

tredinem ad littora emergit phoca, in mari mortua, tumoribus, ulceribusqve utilis esse censetur, pus e vulneribus extrahere, & sanationem eorum promovere, scabiem quoque, lichenes rabidiqve canis mortuis sanare perhibetur, dum adipis tenuis lamella loco læso imponitur dolores quoque articulorum levare & medelam iis adferre dicitur. Oleum phocæ ab iis infantibus variolis afflictis datur, diciturque efficere, ut citius expellantur. Præterea scabiem pecudum hujus axungiae unctione abigunt, &, ut a multis traditur, non tantum contra insecta, sed etiam urlos & lupos pecora conservabit hoc illinimentum. Artificiis multa commoda præbet axungia & oleum phocæ; utpote in manufacturis vestium ad carminationem lanæ. A coriariis quoque & tutoribus adhibetur, tergora enim bovinæ, nisi uncta fuerint bac pinguedine vel ceti, non valent ad conficiendum ocreas viatorum in pluvia, eo quod arcet omnem humiditatem & diutissime conservat eas; nec mures bac pinguedine calceos vel ocreas unctas rodunt, teste Olaus Magno. Pictoribus & architectis ad colores suos fundandos, vitriariis ad eorum Lappentalg in ferruminationibus plumbi necessarium est hoc oleum. Ulterius adeps phocarum ad coctionem saponis & smegmatis impenditur, Lampadibus infunditur loco olei, quamvis odorem & fumum patiat. Contra ebrietatem præservat, hinc rustici potui dediti ad convivia ituri haud contemnenda hujus olei portione pectus muniunt. Nautis & restionibus adeps hæc instar alius cetacei in usus adhi-

adhibetur. Nostris unguentum coriorum & pelli-  
lum est, unde moliores reddantur. Adhibetur  
etiam ad instrumentorum ferreorum & bombar-  
darum præparationem. Ex corio hujus animalis  
calceos, tibalia, qvibus itinera facientes utuntur,  
faccos farinæ, tegmenta traharum aliaque  
varia parant nostri. His etiam pellibus ca-  
psæ, scrinia, sellæ & opercula tonnarum obdu-  
cuntur. De cetero ex catulorum pilis albicanti-  
bus & mollibus gaudentium pellibus pulvinaria  
peras & pileos conficiunt. Coriis his recentibus  
ad vulnera pedum utuntur. Pellis a podagra quo-  
que præservare, si ex ea calceos gestaveris, per-  
hibetur a *Jonsono*. Utpote vero haec tenus re-  
censitorum usum medicinalium fides sit penes  
auctores, ita huic animali varia etiam adscribun-  
tur fidem excedentia. Veritati omni contrarium  
est, qvod de phoca perhibet *Akazninius*, citatus  
a *Bocharto* in *Hiero-Zoico*, part. II. p. 864. qvod  
habeat caput spinis & spiculis armatum, qvibus  
& configat obvios, & naves inter medias aquas  
incendat; neqve esse contra hanc pestem aliud  
remedium, qvam ut latera navium pelle phocæ  
obtegantur. Alii occidere hoc animal subinde u-  
xores fabulantur, novasque super inducere, hinc  
accurrere etiam ad pescatorem simili pelle vesti-  
tum, jacentem super glacie, mugituque illud e-  
vocantem, qvod se accepturum novam, conjugem  
putet. Sunt apud nos varii lacus, in qvibus  
autem iacant quibus insulæ ad aqua pendentes  
• tubs

qvamvis sit pīcium abundantia, ii tamen difficilime capi possunt, dicuntur ideo fennice *Salammet*. Indita nimirum videtur pīscibus in angustias inclusis major vitæ conservanda cura & circumspectio, ne penitus exhauriantur, qvam iis, qvibus latiora concessa sunt habitacula. Contendit vero vulgus, iniqvam pīscationem in ejusmodi stagnis oriri a spēctris qvibusdam aquaticis. Hēc abigi posse injectione lardi phocæ aut ejus capitis fabulantur; ebullire tum paludem & excitari vehementissimum ventum, postea autem felicem futuram pīcium capturam. De pelle hujus animalis perhibent *Plutarchus* & *Plinius*, qvod contra fulmina imo & grandinem corpora muniat. Hinc de *Augusto* narrat *Svetonius*, qvod cum tonitrua paulo infirmius expavesceret, semper & ubique pellem vituli marini circumferret pro remedio. Prodigiosam qvoqve illam virtutem cuti huic adjudicat *Plinius*, qvod etiam exsiccata tensum æqvorum retineret, æstuqve maris semper inhorreresceret. Mutationes ventorum eandem significare contendit *Rondeletius*, austrinis nimirum erigi pilos, borealibus ita desidere, vt nullos esse affimes.

T A N T U M.



## Til Herr AUCTOREN och RESPONDENTEN.

**S**Wad är som utes alt hwoad fågrings namn mānd' åga,  
Måst pryda kan en Siahl i denna dödlighet?  
**S**hwoad är som annat kan i wärde öfvermåga,  
Och hypperst är bland alt det goda som man vet?  
Jo, dygd, wett, wishet plå de dyra skatter hetar;  
De å anständigast för Siählens ådla art;  
Når man med flit och id will dygden esterleia,  
Och Grundlig lärdom, alt in til sin hådansart,  
En rätsint Phœbi svånn, at högden kunna hinna  
Af wettenkap och konst, har intet arbet spart.  
Fast han på sådan våg skull tisteltaggar finna  
Bland schönsta blommor; skräms han doch ej i sin fart,  
Berom tilkommer Ehr, Ehr tilhör dersör heder,  
Her Tengström, för det I med osörtruten flixt,  
Ehr tid och Edra åhr vid Aura wähl lagt neder,  
Bid Aganippes brun med osörtruten nijt.  
Ta detta wackra wärck, där giftligt I afmålar  
Dett sätt som idkas plåt i Edert Fädersland,  
Att tilbereda tran af Siählens seta swåla,  
Ett wackert witne om Ehr lärdom vara kan.  
Haf tack, för det I nu den konsten of meddelat,  
Som förr war obekant. Min önskan stedse är,  
Att Ehr med tiden ej belöning mätte felas,  
Som swarar mot Ehr flixt, den I ha'n användt hår!

I störsia hastighet lemnat af  
MICHAEL GRUBB. Nic. fil.

Stockholmien 1619,